TEXTUS LATINUS

ERNALDUS ABBAS BONAEVALLIS

Arnaud de Bonneval

DE DONIS SPIRITUS SANCTI

Libellus

PATROLOGIA LATINA

Tomus CLXXXIX | Columnae 1589-1608

Ex editione J.-P. Migne, 1854

ERNALDI ABBATIS

LIBELLUS

DE DONIS SPIRITUS SANCTI.

(Galland., *Biblioth. V. PP.*, t. XIV, p. 496.)

PROLOGUS.

Nemo cum hæc capitula viderit, exspectet ut legat tranctantem de sapientia Dei, secundum quod scriptum est : *Omnia in sapientia fecisti* (*Psal.* CIII), et iterum : *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* VIII); aut de intellectu, secundum quod scriptum est : *Intellexisti cogitationes meas de longe* (*Psal.* CXXXVIII); sive de consilio, secundum illud : *Consilium Domini in æternum manet* (*Psal.* XXXII); et : *Quis cognovit sensum Domini, aut consiliarius ejus fuit?* (*Isa.* XL) seu etiam de scientia, qualis et illa : *Ecce, Domine, tu cognovisti omnia*, etc. *Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, et non potero ad eam* (*Psal.* CXXXVIII). Ego enim mensuram meam cognoscens, propheticæ et apostolicæ gratiæ viris istiusmodi cedo tractatum, contentus de illa mensura donorum spiritualium, tenui licet sermone, tractare, quam Apostolus commendabat, quando dicebat : *Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ* (*Cor.* XII). Si quis sane offenditur, cum legerit scientiam ad humilitatem referri, meminerit me de illo Spiritu scientiæ agere qui requievit in Christo. Nam ante adventum Christi, scientia litterarum, scientia artium liberalium cæterarumque in mundo erat; sola perfectæ humilitatis scientia deerat. Homo per scientiam boni et mali seductus a diabolo, et hac ipsa scientia inflatus, nesciebat se humiliare homini; nesciebat et Deo. Deus igitur factus homo humiliavit se homini usque ad lavandos pedes ejus, humiliavit se Deo Patri usque ad obedientiam mortis; docuitque hominem humiliare se Deo, humiliare se et homini et Deo, homo Deus. Homo autem, quia se non humiliavit Deo, factus est miser et mortalis; si se humiliaverit autem, fiet beatus et immortalis. Magna proinde scientia est, cum docetur homo humiliare se Deo : docetur enim miseriam et mortem evadere; quæ si non evaserit, nulla ei scientia proderit. Non est igitur absurdum scientiam Christi ad humilitatem referri. In quo *cum omnes thesauri sapientiæ et scientiæ*

Digitized by Google

sint *absconditi* (*Coloss.* II), hanc tamen a se specialiter voluit disci. Si cui videtur nihil tanta materia dignum me dixisse, nec ego nego. Occasionem igitur melius dicendi dederim, cui isdem Spiritus dederit. Si cui vero placuerint quæ dicta sunt, oret, rogo, pro eo qui dixerit. Jucundum mihi est, piissime et amabilis frater, pio desiderio tuo obsequi, et de sanctis tecum Scripturis, licet indoctus, proferre. Unde et quæ vires meas excedunt, præsumpsi tibi promittere, dum delector ob amorem tui, tecum sermocinari. De Spiritus sancti quippe donis tractare, spiritualis viri est; et de divinis divinorum conscius debet eloqui. Verum quia spes nostra in Deo est, ipse qui facit magnorum fluviorum gurgites redundare, potest et in nostrum fonticulum aliquid distillare : quod sancta sitis tua non pro magno hauriat, non tamen penitus effundendum æstimet.

CAPUT PRIMUM.

De sapientia et intellectu.

I. Sunt igitur quatuor dona Spiritus sancti, sapientia scilicet et intellectus, consilium atque scientia, tantæ inter se vicinitatis, ut pene unum quid esse videantur. De his ergo voluisti ita tractari, ut claresceret quodlibet horum, in quo ab alio differret; placuitque in communi, ut etiam reliqua tria dona non penitus omitterentur, sed prout res posceret, loco et ordine suo etiam ipsa inserentur.

II. Fuerunt igitur viri quos sapientia Dei in tantum dignata est ut per eos immortalitas suis mortalibus, cum et ipsi mortales essent, innotesceret, præcepta ederet, præmia pollicitaretur, minas intentaret, dispositiones pronuntiaret. Talis erat Moyses, talis Job, talis deinde Salomon, Joannes Baptista, Paulus apostolus, et horum similes quilibet. Isti itaque qui a sapientia Dei tanti æstimati sunt, ut absque homine mediatore in interius penetrale suum introduceret, familiaresque suos efficeret, spiritu sapientiæ irradiati atque glorificati sunt. Fuerunt itidem minoris quidem, sed tamen magnæ gratiæ viri, qui Spiritu sancto adjuti, illos sapientiæ familiares sublimiter et divine intelligere meruerunt, ipsisque quasi ducibus ac mediatoribus usi, cubiculum sapientiæ et ipsi intraverunt, familiaritatem ejus tametsi supparem consecuti sunt. Isti ergo qui illos primos sapientiæ familiares, claro præ cæteris intellectus oculo penetrare meruerunt, spiritu intellectus ditati sunt. Verum quia nunc talis sapientiæ viri aut omnino non sunt, aut certe valde rarescunt; cum tamen spiritum sapientiæ Ecclesiam deseruisse nullus sapiens dicat, præsertim Scriptura dicente : *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum* (*Sap.* VI), videtur de sapientia, humaniore quodam, ut sic dicam, modo disserendum. Cum igitur Scriptura dicat : (3) *Ecce theosebia*, id est Dei cultus, *ipsa est sapientia*, quisquis Deum recta intentione, ac devota sedulitate colit, hunc vere sapere, hunc spiritu intelligentiæ agi credo. Quoti vero sint qui Deum pie et sancte colant, et tamen invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta non conspiciant, sempiternam quoque virtutem ejus ac divinitatem puto non facile æstimari posse. Probat hoc servorum Dei simplicium tanta numerositas, attestatur Liæ illius, quæ activam nobis vitam post formavit, numerosa fecunditas. Sicut ergo istos in spiritu sapientiæ excellere manifestum est eo ipso quo terrena non sapiunt, et ad fontem sapientiæ in siti currunt, ita in spiritu intellectus eos non eminere apparet, vel quia Scripturarum opaca non penetrant, vel quia ex creaturis Creatorem non intelligunt. Cum vero alicui ex his revelaverit Dominus condensa Scripturarum; nam et Rachel, licet paucissimos, pepererit, spiritui sapientiæ spiritu intellectus addito, augentur atque ditescunt. Verum notandum in ista divisione quod sapientia, quamvis vilior videatur, tamen utilior inveniatur; et intellectus, licet dignior æstimatur, impar tamen comprobetur. Nam et hæreticos quædam profunda Scripturarum mire intellexisse atque exposuisse in Patrum litteris invenimus; et philosophos per ea quæ facta sunt invisibilia Dei intellecta conspexisse Deumque cognovisse Apostolus attestatur. Quos tamen postea deformiter errasse, et usque ad colendam creaturam lapsos esse, idem ipse redarguit. Nam et Psalmista non absolute ait : *Beatus qui intelligit* (*Psal.* XL); sed addidit, *super egenum et pauperem* (*ibid.*), ut tunc solum intellectum prodesse declaret, si se ad humilitatem inclinaret, si paupertatem suam intimam non dissimularet, si Christi pauperibus compati atque servire amaret. Cumque sibi ipsi intellectum a Deo petiisset, dicens : *Da mihi intellectum* (*Psal.* CXVIII), statim subjunxit, *ut discam mandata tua* (*ibid.*). Sed et in alio loco de intellectu agens, non eum absolute bonum (*Psal.* CX), sed *omnibus facientibus eum* (*ibid.*), bonum esse pronuntiavit. Sapientia vero de qua agimus, in tantum bona est, ut omnes sectatores suos faciat bonos, nullusque nisi per eam efficiatur bonus. Et ipsa quidem sine intellectu isto sufficit ad salutem, cum ipse intellectus nisi a sapientia dirigatur, magis elonget a salute. Quæ cum ita sint, videtur forte contrarium, quod paulo ante dixi, quia cum spiritu sapientiæ pollentibus, spiritus intellectus additur, augentur atque ditescunt. Et tamen contrarium non est; nam si alicui aurum habenti summa argenti conferatur, opes ejus utique augentur et crescunt; neque etiam quia sapientiam pluris facimus, ideo intellectum, magnum esse bonum negamus. Utinam omnis homo intelligeret, ut bene ageret!

CAPUT II.

De consilio secundum quod a Scriptura dividitur in præceptum et consilium.

Hactenus de sapientia et intellectu, exinde de consilio agamus. Est autem res pretiosa consilium utile accipienti, salutare danti, in prælatione

(3) Alludit, ut videtur, verbis Eccl., cap. I, 26 : *Initium sapientiæ timor Domini.*

Digitized by Google

positis congruum, in tribulatione constitutis necessarium. Constat autem in Scripturis alia secundum præceptum, alia secundum consilium Dei : secundum consilium, ut facultatibus terrenis abrenuntiemus; secundum præceptum, ut conjugio contenti, adulterium non faciamus; secundum consilium, ut mulierem non tangentes, virgines permaneamus; secundum præceptum, ut crapula non gravemur, vino non ebriemur; secundum consilium, ut carnem non manducemus, et vinum non bibamus. Sunt autem multi in plebeiis constituti, qui Deum quidem præcepta ejus faciendo fideliter colant, ad consilium tamen non assurgant. Isti ergo spiritu sapientiæ pollent, sed spiritum consilii non accipiunt. Videmus alios in spiritu intellectus eo usque profecisse, ut profunda Scripturarum non modo ipsi intelligant, sed et aliis intelligenda tradant; unde et divini, quia divina docent, jam vulgo appellantur. Consilium autem dispergendi divitias et dandi pauperibus, adeo refugere ut ipsum spirituale donum intellectus quod meruerunt, ad carnales divitias contrahendas violenter, heu miseri! intorqueant. Legunt et exponunt : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere* (*Psal.* LXI). Et eo ipso, quo hoc legunt et exponunt, ut divitiæ sibi affluant, cor apponunt. Istis ergo cum spiritus intellectus adsit, spiritus consilii deest. Sunt vero qui spiritu sapientiæ et intellectus afflati, ad spiritum quoque consilii se erigentes in tantum, sed quadam timiditate atque ignavia, seu infirmitate animi deprimuntur. Unde bene post spiritum consilii spiritus fortitudinis introducitur, quia revera magna fortitudine opus est, ut quis non solum usque ad convexa præceptorum, sed etiam usque ad cacumen consilii ascendat in montem Domini.

CAPUT III.

Item de consilio, scilicet secundum quod opus est spiritu consilii his qui aliis consulere debent.

1. Hactenus de spiritu consilii, secundum quod consilium accipitur, egimus . de spiritu quoque fortitudinis, paucissima, velut pro loci sui necessitate, subteximus. Nunc de consilio, secundum quod datur, videamus. Sciendum est igitur, non solum ut quæ scientia sit sciamus, verum etiam ut ex his quæ scimus necessaria tempore opportuno nobis occurrant, consilio Spiritus sancti esse opus. Postquam ergo spiritum scientiæ, ut Deum sinceriter colamus, acceperimus; postquam spiritum intellectus ad penetranda Scripturarum mysteria meruerimus, restat ut cum consilium a nobis quæritur, prius ipsam quærentis personam qualitatem, professionem, prudenter æstimare noverimus. Ac si demum spiritu consilii adjuti de latitudine Scripturarum tale consilium depromamus, quod et audienti proficiat, et nulli alii officiat. Deinde vel exemplis Scripturarum, vel rationis firmitate, vel similitudinum adaptatione quam præsumpserimus sententiam munire oportet, donec quærenti satisfactum sit. Oportet etiam ut affectus nostros ad affectum illius immutemus, et sive lætus tristes, sive tristis lætos invenerit : dum nos vel læto congaudere, vel tristi compati viderit, fidele fore nostrum consilium credat, ac per hoc libentius cedat et acquiescat. Et ad hoc nisi spiritu consilii adjuvetur quis idoneus, videas aliquando virum spiritu sapientiæ et intellectus præditum, dum consilium ab eo quæritur, obmutescere, et quadam mentis gravedine deprimi, et nihil gratum, nihil acceptabile, audienti posse proferre. Videas eumdem ipsum alio tempore sanum consilium proferre, exemplis Scripturarum elucidare, rationis copia comprobare, similitudinem coaptationibus confirmare. Unde in uno eodemque homine ista diversitas? Nisi quia spiritus consilii secundum sibi nota dicentis et audientis merita, secundum sibi soli nota altitudinis suæ consilia, efficaciam suam nunc retrahit, nunc emittit. Hoc etiam spiritu consilii opus esse credo, ut ipsum consilium tam modeste, tam convenienter proferamus, ut ipse modus proferendi, consilio prolato loco sit boni condimenti. Porro si talis sit causa de qua consilium quæritur, ut consilium ejus in Scriptura divina non habeatur, tale oportet per spiritum consilii consilium inveniri, cui divina Scriptura contraria non inveniatur. Neque enim incredibile est, sapientiam Dei voluisse in Scripturis sanctis, tot et tantis humanarum miseriarum eventibus consilio obviare, ob hoc ut spiritui consilii locum suum reservaret. Nam dum homo homini consulit, pax et concordia hominum, ac per hoc salus et utilitas crescit. Denique cum scriptum sit : *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus* (*Psal.* CXLVI), consequens videtur ut omnis sapientia Dei in Scripturis quantislibet comprehensa sit. Quin potius credibile est semper restare quid de ea possit scribi, quoniam ipsa nullo scripto potest comprehendi, Quæ si ita sint, scivit ipsa sapientia Dei et multipliciter in Scripturis sacris consiliis abundare, et tamen locum suum spiritui consilii reservare. Hinc est quod videmus et aliquos litteras ignorare, et bonum ac sanum consilium dare. Certe Salomon legem legerat, spiritu sapientiæ et intellectus præditus filiis hominum pollebat : et tamen, ut legitur, quorumdam seniorum consilio cuncta faciebat, explorans nimirum vir sapiens quid sibi responsi de abdito suo, id est de pectore senum, spiritus consilii depromeret. Hæc ergo ad hoc nobis proficiant, ne quis, etiam si religiose vivendo Deum colat, quod est sapientis, si Scripturarum obscura penetret, quod est intellectus, consilium, utpote sibi non necessarium, fastidire præsumat. Sane his qui de divinis Scripturis consilium dant, sciendum est in eisdem Scripturis non omnibus omnia dici, sed multas sententias earum, pro personarum seu temporum varietate opportune intelligi. Verbi gratia : *Cum vos persecuti fuerint*, ait Dominus, *in civitate ista, fugite in aliam* (*Matth.* X), qui hoc generale præceptum et quod nulli prætermittere

Digitized by Google

licerit esse voluerit primum et præcipuum inter omnes martyres, martyrem Stephanum prævaricationis arguet, quia non fugerit, sed magnanimiter stando magnifice coronatus sit. Arguet et ipsos egregios gregis Dominici arietes apostolos, qui in eadem persecutione, cæteris per regiones Judææ et Samariæ dispersis, in tanto turbine nequaquam cessisse fugiendo, sed manendo stetisse referuntur. Sed hoc quantæ temeritatis sit quis non viderit? Intelligendum est ergo hoc præceptum fugiendi infirmis et ad martyrii certamen imparibus datum esse, aut certe illis illius temporis prædicatoribus qui, Judæis verbum Domini repellentibus et indignos se æternæ vitæ judicantibus, conversi sunt ad gentes. Si ergo in tempore persecutionis aliquis, levitatis aut temeritatis spiritu actus, consilium quæsierit, fugiat subeatve certamen: tu vero ad proprium provocaveris, et ille non sufficiens Christum negaverit, vide ne consilio tuo illum perdideris quo pro Christus mortuus est. Si verus quilibet Christi athleta consilium quæsierit, tu autem eum dehortatus, fugam magis persuaseris, consilium tuum coronam ei de capite detrahit. Similiter si quem temere ad abrenuntiationem sæculi provocaveris, et illud retro respiciens, aut ex toto ad vomitum suum redierit, aut certe vita ejus et conversatio, bonorum fratrum dolor et persecutio facta fuerit, necesse est ut consilii tui te pœniteat, quod spiritus consilii non regebat. Necessarius ergo est spiritus consilii, etiam eis qui per spiritum intellectus Scripturas sanctas meruerunt penetrare, ut noverint ex eis prudenter conservis suis, unicuique secundum propriam virtutem, cibaria dispensare. Puto Noemi illam de libro Ruth non sine spiritu consilii nuribus suis, cum se sequi vellent, reditum ad suos persuasisse, ne, dum eam pudore, non judicio sequerentur, secutas se esse citius pœniterent. Noluit illis solatium perpetuum polliceri, sed reditum ad suos magis persuadere, cum tamen infida et inconstans nurus se perdidit. Sic, sic illo spiritu consilii adjuta, et in fide consilii nurus omnis liberata et solatio suorum gratulata est. Si hanc discretionem plerique nostri temporis prælati in admittendis fratribus et scirent tenere, et vellent, cum paucioribus quidem, sed cum pace Deo servirent. *Melior est*, inquit Sapientia, *unus timens Deum, quam mille filii impii* (*Eccli.* XVI).

II. Optime sane post spiritum sapientiæ et intellectus, spiritus consilii ponitur, quia qui utrolibet horum caruerit, ad consilium dicendum impar erit. Nam et qui Deum colendo vere sapit, si Scripturarum dispensationes non intelligat, secundum religionis suæ fervorem de cunctis judicans, in consulendo falli potest. Nihilominus et qui Scripturas intelligit, nisi Deum amando et colendo sapiat, difficile est ut hoc alii consulendo persuadeat quod ipse non amat. Restat ergo ut qui spiritu sapientiæ et intellectus caret, spiritum consilii sibi non arroget. Spiritu autem consilii pollens, spiritu quoque fortitudinis fulciatur necesse est ut, si alicui bonum consilium dederit, et aliqua inde adversitas oborta fuerit, non frangatur; sed in Domino confidens viriliter agat, donec bonum consilium ad effectum perducatur. Porro si in consilio suo auditus non fuerit, nihilominus spiritu fortitudinis oportet regatur, ne, velut Achitophel, pusillanimis effectus, qui aliis consulebat erga seipsum inconsulte agens perdatur.

CAPUT IV.

Quod spiritus consilii prælatos specialiter deceat.

Sane quod spiritus consilii magis prælatos deceat, Scriptura docet dicens: *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi* (*Deut.* XXXII). Quia enim per ipsa bonorum suorum insignia plurimis innotescunt, plures ab eis consilium petunt. Et in Veteri quidem Testamento multifariam multisque modis Deus et consulebatur et respondebat; et nunc potius, populi Dei tam numerosi consilium penes prælatos ipsius est. Quocirca necesse est ut in prælatis maxime spiritus consilii vigeat. Quorum ad consulendum alii non sufficit, vel in hoc spiritum consilii habeat, ut consilium a sapiente perquirat et perquisito credat. Si autem hoc facere despexerit, illud evangelicum restat: *Cæcus si cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt* (*Matth.* XVI); et illud: *Si autem lumen quod in te est tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* (*Matth.* VI.) Verumtamen quia Dominus illuminat cæcos, adeat Dominum, et dicat ex totis præcordiis suis: *Deus meus, illumina tenebras meas!* (*Psal.* XVII.)

CAPUT V.

Quod in tribulatione positis pernecessarium sit opus consilii.

In tribulatione autem positis pernecessarium est consilium, ne scilicet ipsarum tribulationum molestiis victi, inconsultum aliquid agant, unde Deum offendant, ac per hoc majores sibi non in præsenti tantum, sed et in futuro tribulationes gignant. Est autem unicum in tribulatione positis consilium. *Invoca me in die tribulationis, et eruam te, et honorificabis me* (*Psal.* XLIX). Verum quia inaniter Deum voce invocat qui eum male vivendo irritat, tunc præcipue et vitæ corrigendæ opera danda est, juxta illud: *Tribulatio et angustia invenerunt me, mandata tua meditatio mea est* (*Psal.* CXVIII). Difficile autem, imo impossibile est ut quis in tribulatione positus, si Deum fideliter invocaverit, faciemque ejus sacrificio justitiæ placaverit, consolationem non mereatur divinam. Tantum non perdat sustinentiam. *In die*, inquit, *tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum, et non sum deceptus* (*Psal.* LXXVI). Sed quidam nisi cito liberati fuerint, deficiunt, ut illi de quibus scriptum est: *Cito fecerunt, obliti sunt operum ejus, non sustinerunt consilium ejus* (*Psal.* CV), nequaquam attendentes, quia et beatus Jacob diu in gravi luctu fuerit, et sanctus David crebris sibi invicem succedentibus tribulationibus probatus sit. Tobias etiam adeo justus et

Digitized by Google

pius, ac secundum nominis sui interpretationem *bonus Domini*, juxta quædam exemplaria, quatuordecim annis cæcitatem sustinuerit. Est autem et hoc in tribulatione positis utile, ut meminerint servis Dei in hoc duntaxat sæculo constitutis, ubicunque fuerint, tribulationem non deesse. Unde et beatus Petrus: *Scientes*, inquit, *eamdem passionem, ei quæ in mundo est vestræ fraternitati fieri* (*I Petr.* v). Nonnulli namque positi in tribulationibus, mederi sibi putant loci mutatione, sed infidum est hujusmodi remedium, et aliquando vertitur in contrarium. Novimus enim loca, in quibus quondam pax et religio floruerant, scandalis postea et doloribus oppleta fuisse, ita ut in eis illud beati Job impleretur: *Terra de qua oriebatur panis in loco suo, igne subversa est* (*Job* XXVIII); illud quoque Isaiæ: *Omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas* (*Isa.* LXIV). Novimus et alia scandala prius, et infamia scandalis loca, post, respectu Dei et pacis enituisse gratia, et virtutum redoluisse fragrantia. Quibus illud Isaiæ aptari potest: *In cubilibus in quibus prius habitabant dracones, orietur viror calami et junci* (*Isa.* XXXV). Ita adhuc quotidie et Libanus vertitur in Charmel, et Charmel in saltum reputatur. Non est igitur certum consilium in tribulatione positis mutatio locorum, quia et ad quæ fugiunt loca gratia Dei destitui, et quæ fugiunt Dei possunt respectu restitui. Certissimum autem his consilium est in Deum sperare, Deum invocare, Deum obsequendo placare, Dei bonitatem longanimitate exspectare. Si quid vero humanum ingenium adinvenire potuerit, quod iniquum non sit et sibi in tribulatione prosit faciat. Nam David per Chusi consilium Achitophel dissipavit, et Apostolus a fratribus in sportam missus evasit, et dissensione inter persecutores suos missa tribulationem suam allevavit. Quia vero quoque audivimus ita nunquam una tribulatio succiditur, ut alia non succrescat, spiritus fortitudinis semper est necessarius, ne deficiamus in tribulationibus.

CAPUT VI.

Item subtilius et altius de spiritu consilii.

Hactenus de spiritu consilii quadrimoda distinctione tractatum est. Verum quia hæc consilia et bonis et malis communia sunt, cum ad consilium pauci, et hi sapientia et fide præstantes soleant admitti, est præter hæc unum et secretum, et cujus boni et electi tantum conscii sint, Spiritus sancti consilium, illa videlicet interna inspiratio ejus, qua suis consulit diaboli insidias et peccati laqueos vitare, mala præsentis exsilii æquanimiter tolerare, bona cœlestis patriæ geminibus inenarrabilibus suspirare, indefesse ad hæc piorum operum præmia festinare, pro salute concivium suorum anxiari, in recordationem vultus Domini sui, dulci amaritudine lacrymari. Hinc quidam Sapiens, cum beneficia Dei erga justum commemoraret: *In absconditis*, inquit, *illius consiliabitur* (*Eccli.* XXXIX). Hinc Dominus per Prophetam: *Nunc quare mœrore consumeris? Nunquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit?* (*Matth.* IV.) Ac si dicat: Nequaquam te desperabili mœrore conficere debes, cui et Christus rex est, et quæ interno sancti Spiritus consilio destituta non es. Magna enim spes est animæ, quæ hoc consilium audire meruerit, sicut et ingens metus ei quæ ab illius auditione obsurduerit. Hinc Psalmista: *Deus*, inquit, *meus, ne sileas a me* (*Psal.* XXVII). Et ut ostenderet quid periculi immineret ei, a quo Deus sileret: *Nequando*, ait, *taceas a me; et assimilabor descendentibus in lacum* (*ibid.*). Homo quippe superbia exigente, interno illi Dei consilio destitutus, suo autem consilio dimissus, descendentibus in lacum assimilatur, quia in peccati voraginem lapsis, et ipse paulatim tepescendo et labendo coæquatur. Qui ideo non cadentibus, sed descendentibus in lacum assimilari dicitur, quia ut ipse casum suum ignoret, sensim ac minutatim, donec in peccati profunda perveniat, labitur. Verum nec tunc desperare, sed de profundis ad Dominum debet clamare, et exspectans exspectare, donec educat eum de lacu miseriæ: ubi et spiritus fortitudinis permaxime necessarius est, cujus ope et virtute, de lacu miseriæ, de peccati scilicet amore et consuetudine, anima emergat. Nam et ad Dominum clamare, et omni nisu debet ipsa conari, quia neutrum horum sine altero potest eam juvare. Multo autem et facilius et felicius est quid, ne cadat, cavere, quam post casum eluctari: *Si populus*, inquit, *meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset; pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem* (*Psal.* LXXXVIII).

CAPUT VII.

De scientia, ubi ostenditur spiritus scientiæ, quæ in Christo requievit, ad humilitatem maxime pertinere.

1. Nunc de spiritu scientiæ videamus. Nomen scientiæ commune est, quia et in magnis et in minimis rebus ponitur. Sed hic de illa scientia sermo est, quæ Spiritus Dei præcipuum donum est, quæ in Scripturis scientia Dei vocatur, quæ apponit dolorem, de qua dicitur: *Recedere a malo, scientia* (*Job* XXVIII). Tanta est igitur scientiarum diversitas, ut scientia inflet, scientia dolorem apponat; cum inflatio superbia, dolor vero non modo humilitas, sed et profunda humilitas sit. Quantumcunque itaque sciat, et quantumcunque infletur, sciat quod a Dei scientia adhuc longe est qui aut pro peccatis suis, aut pro hujus exsilii prolongatione non dolet, quia qui apponit scientiam, apponit dolorem. Nescit enim qualis sit pulchritudo justitiæ, qualia bona Domini in terra viventium, qui horum adhuc exsors manet, et non dolet. Sed et si quis pro peccatis doleat, et tamen ab his non recedat, nec iste perfectam scientiam obtinet, quia recedere a malo, scientia est. Quocirca ille probatur scientiam Dei scire qui et pro peccatis scit dolere, et a peccatis noverit recedere. Porro hæc scientia, et ab humilitate incipit, et in humilitate perseverat. Et ideo ubi de scientia Spiritus Dei agitur, libenter scientiam humilitatis accipio, quia ille scientiarum dominus, ille magister unus, a se specialiter disci

Digitized by Google

mandavit, dicens : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Non solum autem verbo, sed et facto pariter et verbo, quanti scientiam humilitatis faceret ostendere curavit. Humilians quippe se Deus ad pedes hominum, cum venisset ab beatum Petrum ; ille vero alta quidem humilitate, licet necdum omne mysterium humilitatis edoctus, a tali ministro tale recusaret ministerium, ait : *Quod ego facio, tu nescis modo ; scies autem postea* (*Joan.* XIII). Nescientem dicit, quem necdum humilitatis scientiam ad plenum didicisse scivit, et de humilitate disserturus, scientiam præmittit. Quæ ne parva videatur, non eam mox effundit; sed in futurum differens, auditorum mentes ad ejus exspectationem suspendit. Postquam autem lavit pedes eorum, illis jam ad nihil aliud intendentibus, sed ad solum sermonem ejus intentis, auctoritatem suam primo commendat, se magistrum, se Dominum et vocari et esse contestans. Novit enim cordis humani cognitor quanti superbus homo talem doctrinam faceret, si alius quam talis magister eam proferret. Nec inconsulte prius virtutibus ac prodigiis Deum se credi fecit, et sic humilitatis scientiam docuit, quia revera nullus scientiam promittenti et aliud non docenti crederet, nisi ipse prius Deus creditus fuisset. Summa autem doctrinæ hæc fuit, ut sicut Dominus servis, sic servi conservis pedes lavarent. Deinde intulit : Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Quæ rogo hæc ? pedes lavare, quasi vero facile inveniri possit qui hoc non noverit. O scientia abscondita a sapientibus et prudentibus, et revelata parvulis ! O scientia, quam omnes videntur scire, et perpauci merentur attingere ! *Stultum enim Dei sapientius est hominibus* (*I Cor.* I). Et quid *Stultum Dei*, nisi quia *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ?* (*Philipp.* II.) Unde idem Apostolus : *Nos*, inquit, *prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* (*I Cor.* I). Nam si quis se magistrum profiteretur, cum vero tempus pollicitationis adesset, pedes lavare doceret, quis eum non irrideret, quis non eum stultum crederet ? *Si quis* ergo, ut Apostolus ait, *voluerit sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens* (*I Cor.* III), humilis fiat, ut beatus sit. Si hæc, inquit, scitis, beati eritis, si feceritis ea.

II. Scientia sæculi in verbis est eloquentiæ, scientia Christi in factis humilitatis : scientia sæculi, ut alius alium verbis concludat ; scientia Christi, ut frater fratri per humilitatem serviat. Hanc igitur, Domine, *scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi* (*Psal* CXXIII) ; quam tanti facere dignatus es, ut propter ejus commendationem, Deus homini pedes lavares. Videre nunc et stupere erat eum qui respicit terram et facit eam tremere ; sub quo curvantur qui portant orbem ; in cujus nomine omne genu flectitur cœlestium, terrestrium et infernorum, et genua sua flectere et totum corpus incurvare ad lavandos pedes hominum, ad cujus pedes lavandos vix unus in mundo dignus inveniri posset homo. Alioquin hic quo inter natos mulierum non surrexit major, indignum fatetur se calceamenta ejus portare, necdum pedes lavare. Mirentur alii eum ventis imperantem, super mare ambulantem, mortuos vivificantem ; æquissimum enim est et omnium in dicto decens ac congruum ut Creator creaturæ suæ dominetur et imperet. Ut vero æternus ille Deus, ille magnus Dominus, ille cujus nutibus cuncta serviunt, ad serviendum mortali homini et fragili sese incurvet, hoc ab omni creatura cum ingenti admiratione, cum admirabili devotione suscipiendum est, hoc a nulla creatura sine quodam pio pavore audiendum est ; sed et in lacrymas debent resolvi pii servi, recogitantes tantam humilitatem Domini sui. Et hoc totum ob id solum factum est, ut homo scientiam humilitatis doceatur. His igitur considerationibus adductus sum, spiritum scientiæ qui in Christo est, ad humilitatem referre : quod uberius ostendi potuisset, si diutius in his immorari visum fuisset. Hoc autem adhuc notandum videtur nequaquam sine causa in pedum ablutione humilitatem expressam fuisse, quam constat actionum nostrarum gressus emundare. Videat quisque utrum velit accipere scientiam Christi ad humilitatem præcipue pertinere. Hoc certe nullus qui Christo credit, potest negare, humiles majorem cæteris Dei scientiam habere, attestante ipso : *Quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI). Item cum Dominus dicat : *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem ?* (*Isa.* LXVI.) Constat nimirum requiem, quæ est in Spiritu sancto, superbis ignorantibus, humiles et experiri et scire. De qua his quos scientia inflat, recte dicitur : *Ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea : Si introibunt in requiem meam* (*Psal.* XCIV). Cæterum si quibus adhuc durum videtur scientiam Christi humilitati deputare, legant qualiter antiqui et sancti Patres illam Domini sententiam exponant, qua dixit Judæis : *Tulistis clavem scientiæ* (*Luc.* XI), et sic fortasse acquiescent.

CAPUT VIII.

De spiritu pietatis.

Attestantur et duo extrema dona quæ restant, pietas et Dei timor, quæ nonnisi umbra humilitatis sunt ; sed alterum ad homines, ad Deum alterum. Nemo enim proprie ad seipsum dicitur pius, sed ad eum erga quem pio movetur affectu, cuique indigenti ea quæ charitatis sunt pie impendit. Ponitur et pietas in Scripturis pro omni religione ; sed talis pietas non tam unum speciale est donum quam ex omnibus septem constat donis. Secundum hoc pietatis genus, et Deus erga hominem pius appellatur, quia ad erigendum eum de stercore miseriæ suæ, mira pietate inclinatus est, cujus rei mysterium, in arcu qui positus est in signum fœderis inter Deum et terram, ne ultra diluvio dissipetur, præcessisse credo ; siquidem de Christo Pater per prophetam dicit : *Dedi te in fœdus populi* (*Isa.* XLII). Cum igitur

Digitized by Google

Christus in fœdus populi detur, arcus vero in signum fœderis ponatur, nimirum constat quia arcus Christum significat. Arcus in signum fœderis ponitur, ne diluvium ultra terram dissipet; Christus in ipsum fœdus datur, ne Ecclesiam credentium in eum ira Dei cum reprobis perdat. Nam salvo eo quod baptismus per diluvium significari traditur, et iram Dei per ipsum figurari Ecclesiasticus liber testatur dicens : *Quomodo cataclysmus aridam inebriavit; sic ira ipsius gentes quæ eum non exquisierunt hæreditabit* (*Eccli.* XXXIX). Porro de arcu ita dicitur : *Vide arcum, et benedic qui fecit illum; valde enim speciosus est in splendore suo* (*Eccli.* XLIII). Speciositatem commendat in arcu, et utique Sapientia Dei speciosior est sole, Christus speciosus forma, præ filiis hominum. Hinc et sponsa : *Totus*, inquit, *desiderabilis* (*Cant.* V). Et Petrus inquit : *In quem desiderant angeli prospicere* (*I Petr.* I). Ipse autem Pater : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Matth.* XVII); et propheta de splendore ejus : *Splendor*, inquit, *ejus ut lux erit* (*Habac.* III). De hoc arcu in eodem cantico : *Suscitans*, inquit, *suscitabis arcum tuum* (*ibid.*). Et exponens quis ille sit arcus. *Juramenta*, ait, *tribubus, quæ locutus es* (*ibid.*). Per semetipsum namque juravit Dominus Abrahæ, quia in semine tuo, scilicet Christo, benedicerentur omnes gentes terræ. Et in psalmo : *Benedicentur in ipso omnes tribus terræ* (*Psal.* LXXI). Quod si quis putaverit prolatum testimonium neque ad Christum pertinere, neque ad gentes, quia dicitur *juramenta tribubus quæ locutus es* (tribus enim revera de Judæis magis quam de gentibus dici solent) meminerit illius Davidici : *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini* (*Psal.* CXXI) : has enim tribus nemo sapiens ad carnalem magis quam ad spiritualem Israel pertinere dicturus est. Et hoc nihilominus, in Apocalypsi quod legitur : *Iris erat in circuitu sedis* (*Apoc.* IV), ipsum esse credo quod in psalmo legitur : *Dominus in circuitu populi sui* (*Psal.* CXXIV). Sedet enim in sede sua, ut doceat; circumdat sedem suam, ut protegat. Ut autem quod ad spiritum pietatis proprie pertinet præferamus, arcus ille speciosus a cœlo usque ad terram se curvat; et Filius Dei a summo cœlo egrediens, pietate mirabili usque ad susceptionem mortalitatis et mortis nostræ sese humiliat, et non solum usque ad terras, sed etiam usque ad inferna pro nobis descendit.

CAPUT IX.

De spiritu timoris Domini.

Jam vero timor Dei, nihil est aliud nisi humilitas. Verum hic non illa accipitur, qua nos foris proximis propter Deum, sed qua intus in conscientia ipsi nos humiliamus Deo. Qui recte septimo loco, eodemque summo ponitur, quia illa humilitas alta est, cum quis et quantum ad hominum et quantum etiam ad proprium judicium perfectus est, et tamen ad judicium Dei adhuc timet, adhuc securus non est. Talis erat apostolus Paulus; nam quia neque alius neque ipse quid in ipso reprehenderet invenire potuit, fiduciaiiter dicebat : *Mihi pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die; sed neque me ipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum* (*I Cor.* IV). Quia vero sub Dei judicio, adhuc timens, securitatem sibi minime arrogabat. *Sed non*, inquit, *in hoc justificatus sum : qui enim judicat me, Dominus est* (*ibid.*). Est quippe et alius timor qui non est in charitate, quia perfecta charitas foras mittit timorem. Sed aliud est, dum is qui graviter offendit, timet ne pereat; aliud dum is qui placet, timet ne vel in minimo offendens, minus placeat. Iste igitur timor veræ Dei scientiæ documentum est, quia ille vere Deum scire probatur, qui usque ad perfectum ejus timorem humiliatur. Qui enim adeo amat, ut vel in parvo offendere magnopere timeat, de hoc tempore bene potest accipi quod scriptum est : *Beatus homo qui semper est pavidus* (*Prov.* XXVIII). Ideo namque ponitur, semper, ne unquam, quoad vivit, de justitia præsumens, dum non timet neque cavet, cadat. De hoc tempore in Ecclesiastico Scriptura est : *Magnus qui invenit sapientiam et scientiam; sed non est super timentem Deum* (*Eccli.* XXV). Timorem Dei super omnia superposuit. Beatus cui donatum est habere timorem Dei!

CAPUT X.

De scientia cæterisque donis.

Igitur scientiam litterarum, scientiam artium diversarum non negamus esse scientiam. Verum sicut is qui necessaria corporis sibi suisque scit providere, dominorumque, vicinorumque suorum gratiam habere, honeste secundum hoc sæculum gerere apud homines sapiens vocatur : et cum omnis sapientia a Domino Deo sit, ille tamen si in æternis sibi suisque prospiciendis, non sapuerit, spiritum sapientiæ accepisse dicendus non est, ita ille qui litteras, qui artes, qui ipsas etiam divinas litteras scit, quandiu se humiliare, ad faciendum bonum quod scit, nescit, si spiritum scientiæ sese accepisse confidit, seipsum decepit. Neque enim talis scientiæ spiritus super Christum requievit, de quo legitur quia *cœpit facere et docere* (*Act.* I). *Qui enim dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est* (*I Joan.* II). *Quid habet*, inquit Salomon, *sapiens amplius a stulto, et quid pauper, nisi ut pergat illuc ubi est vita?* (*Eccli.* VI.) Hoc solo discernens sapientem a stulto, quod humiliter benefaciendo, unde et pauperem eum vocat, ad vitam pergit : quo ille pergere, aut nescit aut contemnit. Hæc utinam adverterent qui, dum de conversione monentur, ad discendum malunt ire; vel post conversionem, occasione discendi, ad vomitum volunt redire : discerentque magis faciendo discere quam discendo non facere. Hæc de septem donis, secundum quod in membris Christi requiescunt, dicta sunt. Quomodo vero in ipso capite nostro requieverint, ipsi et si quibus ab ipso revelatum fuerit videamus. Sapientia tamen et scientia quæ frequentius in Scripturis ponuntur, secundum quod in eo requieve-

Digitized by Google

runt, facile discerni possunt. Sapientiam quippe habuit, quia Patris voluntati per omnia obediendum esse sapuit. Habuit et scientiam, quia nihil præsens, nihil præteritum, nihil futurum, sive in humanis, sive in diabolicis, sive in angelicis, sive in divinis rebus, cum latuit. Habeat igitur quisque spiritum sapientiæ, ut Deum colat; spiritum intellectus, ut Scripturas investiget; spiritum consilii, ut de iis alii consulat; spiritum fortitudinis, ut scipsum ad fortia virtutum opera accingat; spiritum scientiæ, ut quidquid fecerit, sine humilitate nihil esse sciat; spiritum pietatis, quo ipsa humilitatis opera fratribus præimpendat; spiritum timoris Dei, quo in his omnibus, non in suis operibus, sed in ipsius misericordia confidat.

CAPUT XI.

Comparatio septem primorum dierum cum septem Spiritus sancti donis, imprimis de primo die, comparato cum spiritu sapientiæ.

Videamus nunc an forte his septem intimis quotidianisque Spiritus sancti operibus septem primorum dierum opera aliqua similitudine congruant. Primo die facta est lux, et de sapientia quidam Sapiens dixit : *Proposui pro luce habere illam, quoniam inexstinguibile est lumen illius* (*Sap.* VII). Cum ergo quis ad Deum colendum illuminatur, in eo lux nova creatur. Unde talibus Apostolus : *Fuistis*, inquit, *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V). Hoc generaliter in adventu Christi per totum mundum factum est, quando Deus Dominus venit et illuxit nobis. Hoc sigillatim quotidie fit in unoquoque, qui reminiscens et convertens se ad Dominum, abjicit opera tenebrarum, et ambulat ut filius lucis, in omni bonitate et justitia et veritate. Siquidem in Genesi prius tenebræ, et postea lux a Domino facta esse describitur (*Gen.* I).

CAPUT XII.

Comparatio secundæ diei cum spiritu intellectus.

Secundo die factum est firmamentum quod dividaret aquas ab aquis, et vocatum est cœlum : quod dono intellectus satis congruit. Et psalmus ait : *Qui fecit cœlos in intellectu* (*Psal.* CXXXV). Per aquas namque Scripturæ sanctæ scientia designatur : unde propheta prævidens in adventu Christi Scripturarum mysteria reseranda, ad earum intelligentiam provocabat dicens : *Omnes sitientes, venite ad aquas* (*Isa.* LV). Sed aquæ istæ divisionem habent, quia pars earum spiritualibus, pars carnalibus congruit. Cum enim Scriptura de munditia cordis, de virginitate carnis, de compunctione amoris, de meditatione spirituali, de æternitatis contemplatione disserit, et de spiritualibus imitanda proponit, aquas superiores super firmamentum constituit. Aut cum uxorem diligere, parentibus obedire, malum proximo non facere, pecuniam ad usuram non dare, necessitatibus sanctorum communicare : infirmis aquas sub firmamento ponit. Istiusmodi namque præcepta a spiritualibus transcendi debent. Ipsi siquidem spirituales, quia conversatio eorum in cœlis est, cœlum recte vocantur; et super firmam petram fundati, tentationis tempore non recedunt. Quia ergo ad spiritum intellectus pertinet hoc modo aquas ab aquis dividere, inter spiritualia scilicet et carnalia præcepta discernere, secundi diei opera, secundi doni operibus inveniuntur congruere. Nonnunquam una sententia ita inter utrasque aquas dividitur, ut secundum intellectualem divisionem et ad aquas superiores ascendant, et ad interiores descendant. Unde Paulus de Genesi proponens testimonium : *Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Ephes.* V); primo secundum mysticum sensum inter aquas superiores sententiam suspendit : *Sacramentum*, inquiens, *hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*ibid.*). Ostendit enim quia fide amoris Ecclesia seu quælibet Christiana anima sponso illi æterno debeat adhærere, cui susceptione infirmæ ac mortalis carnis ejus sese dignatus est unire. Ostendit etiam hoc jam tunc ab initio sæculi per hanc sententiam prophetа, Christi scilicet incarnationem, et Ecclesiæ desponsationem, hoc inquam ostendit, sed intelligentibus. Descendit ergo aqua, usque ad firmamentum, per intellectualem divisionem, ut et infirmi possint bibere. Nam ille superior intellectus, velut supra firmamentum collocatus, spirituale potat. Sequitur itaque : *Verumtamen et nos singuli, unusquisque uxorem suam, sicut seipsum diligat* (*ibid.*). Sunt itaque in Scripturis, quæ solis carnalibus; sunt et quæ solis spiritualibus; sunt quæ et carnalibus et spiritualibus, si spiritualiter dividantur, congruant. Porro spiritus intellectus quem efficaciter tangit hujus divisionis peritum facit, ut sciat in plateis aquas suas dividere.

CAPUT XIII.

Comparatio tertiæ diei cum spiritu consilii.

Tertio die virentes herbas lignaque fructifera, utrumque semen afferentia, germinavit; quod ad spiritum consilii satis apte referri potest. Bonum quippe consilium bonum nimirum semen est. Et herba virens et lignum pomiferum cum fructu semen afferunt, cum hi qui bona faciunt semine boni consilii et alios ad benefaciendum trahunt. Sed et hoc quod, congregatis in unum locum aquis, arida apparuisse memoratur, non inaniter factum fuisse existimatur. Primum quippe est ut aliorum, qui jam Deo uniti sunt, irrigatio sua, ipsius vero cuique ariditas appareat : sic pro pluvia, quam segregavit Deus hæreditati suæ, cum certa spe ad eum suspiciat, cujus demum aspersione irrigatus, et ipse in bonis operibus fructificet et aliis boni consilii semen subministret. Licet nunc videre Davidi ariditatem suam cognoscentem et deplorantem *Anima mea sicut terra sine aqua tibi* (*Psal.* CXLII) et alibi : *Ego sicut fenum arui* (*Psal.* CI). Licet videre eumdem de superna irrigatione præsumentem : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram* (*Psal.* CXLII); et alibi *Dominus prospexit de excelso*

Digitized by Google

sancto suo (*Psal.* CI), *Dominus de cœlo in terram aspexit* (*ibid.*). Sed et boni consilii semen pollicens : *Docebo*, inquit, *iniquos vias tuas; et impii ad te convertentur* (*Psal.* L). Et quanquam hæc testimonia generaliter in lapsu et restauratione generis humani jam olim completa sunt, quotidie tamen in singulis electorum compleri non cessant.

CAPUT XIV.

Comparatio quartæ diei, cum spiritu fortitudinis.

Quarto die sidera in firmamento cœli ad illuminandam terram collocantur : et hoc ad spiritum fortitudinis pertinet, quia ad exemplum lucis peccatoribus præbendum, non incipientes tantum et teneri, sed fortes et robusti constituendi sunt. Unde Dominus : *Accipietis virtutem Spiritus sancti in vobis, et eritis mihi testes* (*Act.* I); et iterum : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* (*Luc.* XXIV). Et certe jam spiritu sapientiæ ad colendum cum illuminati fuerant, jam sensum illis ut Scripturas intelligerent aperuerat, jam semina prædicationis, imo et miraculorum, sed sub ejus magisterio sparserant; et tamen ad regimen Ecclesiæ ipsi Christo succedere non permittuntur, antequam virtute Spiritus ex alto induantur. Nam et quod in firmamento cœli sunt positi, quodam modo firmitatem virtutis ab eis exigit. Congruit et huic sensui Psalmista, *Lunam et stellas*, inquiens, *quæ tu fundasti* (*Psal.* VIII). Nam prout mihi videtur, inter omnes virtutes, per universas Scripturas fortitudo specialiter homini adimittur, et Deo ascribitur : unde David : *Diligam te, Domine, fortitudo mea* (*Psal.* XVII); et iterum : *Præcinxisti me virtute ad bellum* (*ibid.*); et iterum : *In potentatibus salus dexteræ ejus* (*Psal.* XIX); iterumque : *Dominus fortitudo plebis suæ* (*Psal.* XXVII). Multa sunt hujus testimonia : copia mensuram excedit. Cum ergo homo et originaliter et materialiter infirmus sit, et hoc ipsum permaxima pars sit fortitudinis ejus, ut infirmitatem propriam noverit, attestante Paulo : *Quando enim infirmor, tunc potens sum* (*II Cor.* XII); si quid allquando vel in propriis vincendis, vel in alienis tolerandis potuerit, sibi illud nequaquam attribuat, sed fortitudinem suam ad Deum custodiat, quia sine ipso nihil possumus facere. Siquidem et de luminaribus non est dictum, sicut de herbis, ut ea terra germinaret, ut supra; neque sicut de reptilibus, ut aqua ea produceret, ut infra sed Deum solummodo ea fecisse scriptum est, ne in fortitudine anima humana vel sibi vel ingenio suo aliquid auderet ascribere, et ita eam mereretur amittere. Nam et Samson, cujus vocabulum *solem* sonat, et qui diu in fortitudine ultra humanum modum clarebat, eum per quem erat fortis offendens, captus est. Et beatus Petrus, dum de viribus suis gloriatur, infirmitatem suam experiri coactus est. Sed et illud quod in Evangelio, et civitas supra montem (*Matth.* V) et lucerna super candelabrum posita (*Luc.* XI), leguntur, ita convenientissime intelligi potest, ut et omnis Ecclesia generaliter a monte montium Christo portetur, et lucerna, quilibet videlicet prædicator ejus, ab eodem Christo, velut a candelabro sustentetur, Mons siquidem immobilis manere, candelabrum vero solet moveri. Et Ecclesiam Dominus quidem velut mons immobilis, nunquam desinit sustentare; prædicator vero si offenderit, statim per Apocalypsim a Christo audit : *Age pœnitentiam, et prima opera fac; sin autem, movebo candelabrum tuum de loco suo* (*Apoc.* II). Ac si dicat : Solebam te in te movens sustentare, ne caderes; at nunc eamdem sustentationis gratiam, a te, quia offendisti, subtraham, nisi me pœnitendo et corrigendo placaveris. Sicut autem quod montes pluraliter intelliguntur prædicatores, non obsistit ne unus singulariter mons intelligatur Christus; ita quod in Apocalypsi per septem candelabra septem Ecclesiæ significantur, non impedit ne per unum candelabrum Christus significetur, qui, unum et verum sustentamentum suarum lucernarum, unica et sola suorum est fortitudo doctorum. Videtur etiam mihi, per solem et lunam, quorum alter ut diei, altera facta est ut præesset nocti, sacerdotium et regnum optime præfigurari potuisse, scilicet propter illuminandos doctrina spirituales, quasi dies; et propter coercendos a malitia carnales, quasi noctem. Quod si ita est, quanta huic operi fortitudine opus fuerit sacerdotes sancti probaverunt qui, in regimine sanctæ Ecclesiæ laborantes, ad mortem usque pro justitia certaverunt. Multa adhuc dici possent quibus magis magisque luceret qualiter fortitudo quarti diei operibus responderet.

CAPUT XV.

Comparatio diei quintæ cum spiritu scientiæ, ubi scientia, sicut et supra, ad humilitatem refertur.

Quinto die reptilia et volatilia ex aquis producta sunt, et hoc ad donum scientiæ specialiter respicit. Per aquas enim scientiam significari notum est, ut supra docuimus. Aquæ igitur reptilia et volatilia producunt, quia et ex scientia quidam inflati nimis ut reptilia remanent; quidam vero humiliati ad cœlestia velut aves evolantes exaltantur. Veræ autem exaltationis causa, humilitas est, Domino attestante : *Omnis qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV), et e converso. Nam ex scientia nonnullos humilitatem concipere, et quotidiana experientia, et jam prolata illa Salomonis docet sententia : *Qui apponit scientiam apponit dolorem* (*Eccle.* I). Videas nunc ecce grandia in aquis maris mugitu abundantia nunquam sese in libero aere suspendentia, nullam cantilinæ suavitatem aliquando edentia. Videas itidem volatilia ipsa, sui parvitate facile per alta cœlorum volitantia, puritate ætheris, solis luce et calore sese oblectantia, laudem Creatoris sui dulci modulatione garrientia. Illis compara magnos illos magistros, fama ipsa doctrinæ suæ metuendos, in illa frigida doctrina sua jugiter commorantes, amorem cœlestium, spiritualem jucunditatem ignorantes, a Conditoris sui laude obmutescentes; istis vero humiles Christi merito humilitatis ipsius et benefi-

Digitized by Google

cio Domini sui, intenta mentis pace sæpe fruentes, a vero sole Jesu nunc spiritualis scientiæ lumen, nunc dulcis amoris ardorem concupiscentes, Creatori suo laudes medullitus jubilantes.

CAPUT XVI.

Comparatio diei sextæ cum spiritu pietatis.

Sexto die creatæ sunt bestiæ, jumenta, et reptilia, vel secundum aliam translationem, serpentia : creatus est et homo ad imaginem et similitudinem Dei. Hæc ad spiritum pietatis convenienter referri possunt. Nam secundum interiorem hominem, hæc creatio ad affectus referenda est. Bestiæ itaque, secundum divinas Scripturas, animalia sunt silvestria, a jugo hominis libera, voluptatibus suis passim ad libitum abutentia. Unde et de Domino in deserto jejunante, scriptum est : *Quia erat cum bestiis* (*Marc.* I). In Psalmis quoque : *Posuisti tenebras et facta est nox ; in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ* (*Psal.* CIII).-Porro serpentia nocendi avida sunt; jumenta vero hominum infirmitatem, et ipsos et ipsorum onera portando, juvant : unde et jumenta dicta sunt. Per bestias ergo illa hominis infirmitas, quæ ad voluptatum carnis abusionem concupiscibiliter rapitur, per serpentia illa quæ aliis malitiose nocere stimulant, figurate exprimitur, Proinde quia homo infirmus est, oportet portetur ; necesse est juvetur. Quare per jumenta, domita scilicet animalia et onerifica, ille humanus, ille pius affectus designatur quia homo homini succurrit, servit, opitulatur: *Debemus*, inquit Apostolus, *nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere* (*Rom.* XV). Est quidem naturale homini benigne erga hominem, maxime erga cognatos, affici ; sed ad impendenda cuilibet proximo charitatis debita, nisi spiritu pietatis afflatus, nisi spe æternorum animatus, nullus homo sufficit. Spiritu ergo pietatis opus est ut nos nobis alterutrum exhibeamus jumenta, fraternæ infirmitatis portando onera. Hinc est quod Samaritanus ille, super quem spiritus pietatis principaliter requievit, semivivum vulneratum in jumentum suum posuisse legitur. Nam et hoc quod homo ad similitudinem Dei factus dicitur, ab hoc sensu non abhorret : *Deus enim charitas est* (*I Joan.* IV). Qui cum similitudinem de Samaritano et vulnerato proposuisset: *Valde*, ait, *fac similiter* (*Luc* X). Item cum discipulis pedes lavisset : *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis* (*Joan.* XIII). Paulus quoque Apostolus instituere nos volens, qualiter de nobis, ipsis fratribus nostris jumenta faciamus : *Alter*, inquit, *alterius onera portate* (*Gal.* VI). Et de Domino propheta : *Languores nostros, ipse tulit, et dolores ipse portavit* (*Isa.* LIII); et Joannes : *Debemus*, inquit, *pro invicem animas ponere* (*I Joan.* III). Sed præmiserat : *Sicut Christus pro nobis animam suam posuit* (*ibid.*). In eo igitur ad imaginem Dei formamur, quod fraternam infirmitatem per spiritum pietatis portamus.

CAPUT XVII.

Comparatio diei septimæ cum spiritu timoris Domini.

Septimo die requievit Deus ab operibus suis. Hujus diei mysterium ipse per prophetam exponit dicens : *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem verba mea?* (*Isa.* LXVI.) Perfectis ergo in sex diebus operibus suis, in septimo die Deus requievit, quia qui in bonis operibus perfectus, in timore Dei humiliter persistit, in eo Spiritus sanctus requiescit, eumque vicissim in se requiescere facit. Non quod aliquod opus bonum, sine ejus opere perfici possit; sed aliud est cum pugnanti adjutorium impendit, aliud cum victorem epulo reficit. *Introibo*, inquit, *ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum* (*Apoc.* III). Sed et quod sanctificasse et benedixisse diem septimum legitur, a septimo dono alienum esse non invenitur : *Dominus*, ait Psalmista, *memor fuit nostri, et benedixit nobis* (*Psal.* CXIII); et post pauca: *Benedixit*, inquit, *omnibus qui timent Dominum, pusillis cum majoribus* (*ibid.*).

CLAUSULA LIBELLI.

En habes, dilectissime, de septem magnis Spiritus sancti donis unum parvum libellum de eo quem super omnia diligis, conscriptum ab eo quem inter omnia pie diligis. Si non placet, quia non meretur, id quod offertur, placeat vel devotio offerentis. Si quid in dubium venit eorum quæ dixi, non quid temere affirmem, sed quid mihi visum sit, simpliciter posuisse me crede. Nam et in sanctorum Patrum expositionibus, et reor et arbitror et puto, non semel invenitur; et si hoc illi qui tanti fuerunt, quanto magis ego fumus? Nonnulla tamen magis claruissent, si non longitudinem onerosam cavissem. Nam et cum de scientia agerem, venit in animum quærere quid sit quod Apostolus dicit : *Scientia destruetur* (*I Cor.* XIII) ; cum constet, ipso affirmante, quod in futuro perfectum veniat, consummata scilicet scientia perveniat. Sed propter memoratam causam supersedi. Rescribat, quæso, dilectio tua, utrumne gratus sit tibi labor meus; verumtamen satis præsumo grata tibi fore quæ ad teipsum scripsi, quandoquidem et ea libenter respicis quæ aliis elaboravi. Mihi autem recolenti satis placuit quod ab uno eodemque præcipuo septem donorum, pietatis scilicet spiritu, opusculum ipsum tunc quidem inde non cogitans inchoavi. Rogo itaque te, rogo, prædulcis et pie amice, qualenus ipsum de quo scripsimus Spiritum pio affectu digneris exorare pro me, quo ipsis bonis donis suis internam meam ariditatem irrigare dignetur ac fecundare, non tantum ad scribendum de se quantum ad fruendum se. Et multiplicata sunt enim, et quotidie multiplicantur mala in terra : ac per hoc ejus solatio destitui summa infelicitas est. Ipse igitur regat, ipse consoletur, ipse sustineat, ipse perducat. Sed finiatur tandem, finiatur illa dulcis cum dilecto collocutio, nunquam autem finiatur ipsius dilectionis dulcedo. Amen.

Digitized by Google